



Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Tertia Conclusio. Quandoq[ue] maleficus non potest dissoluere maleficium
ab alio malefico inductum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

tionis, quam ea, quæ preparantur arte & indu-
stria humana, & huiusmodi solet non raro in
congregatione finita chorea distribuere, ut
multorum confessione didicimus.

Tertia Conclusio. *Quandoq; malefici-
us non potest dissoluere maleficium ab alio
malefico inductum,*

RATIO: quia maleficus in dissolutione
vtitur auxilio Dæmonis, si ergo Dæ-
mon, qui cooperatur in dissolutione, sit
inferioris ordinis, & is, cuius artificio ma-
lum infectum, potentioris virtutis, non po-
terit inferior dissoluere, nisi potentior ali-
quo respectu in maiorem hominum perni-
ciem suo iuri cedat. Atque sic regulariter
non potest inferior maleficus remedium ad-
ferre calamitatibus à superiori immisis. Cui
rei breui, in quodam loco vicino, vtà viro
fide digno accepi, quædam malefica testimoni-
um perhibuit. Cùm enim interrogata fu-
isset, num illi, quem maleficio infecerat, re-
medium adferre potuisset: Respondit: Ah
ego & mei similes hoc non possumus, licet
inferamus: fuerat autem talis mulier mise-
ra, ex communi consortio, & non honora-
tiore loco. Idem patet experientia in rebus
humanis. Quidam medici sunt præstantiores
in scientia & praxi, qui optimè & facili nego-
tio

tio curare possunt, quæ indocti Medicine quidem cognoscere valent.

Quarta Conclusio. *Regulariter, quæ inferior maleficus intulit maleficia, superior potest curare.*

PROB A T V R. Superior maleficus operatur virtute superioris Dæmonis, qui inferiorem potest cogere, ut ipse met dissoluat, vel superior valet dissoluere, cum in sua potestate sit. Rex enim in suo regno omnia, quæ excellentiæ & potestatis sunt, potest quæ Prætor, vel officiatus sibi subditus. Intelligo autem hic superiorem maleficum eum, qui pactum, habet cum Dæmone superioris ordinis.

Quinta Conclusio. *Quandoq; infirmitates & calamitates illatæ tales sunt, ut amplius nullo etiam maleficio dissolui queant.*

PROB A T V R. Sicut mala aliquando ita periculosa & inueterata sunt, ut nulla arte medicorum curari queant: Ita etiam ob diuturnitatem maleficia hominis naturam destruere possunt, ut impossibile sit curare. Quia cum maleficus curet cooperante Dæmone, qui impedita sanitatis remouere debet naturalibus: si ob diuturnitatem omnino natura destruta